



DE
AQVAE LAVDIBVS
IN MEDICINA NIMIIS
SVSPECTIS

P R A E S I D E

D. LAVRENTIO HEISTERO

SERENISS. DVC. BRVNSV. AC LVNEB. A CONSILIIIS AVL.
ET ARCHIATRO, PRAXEOS CHIRVRG. ET BOTANIC. PRO-
FESS. PVBL. ORD. ACAD. CAES. NAT. CVRIOS. LONDINENS.
NEC NON BEROL. SODAL. FACVLT. MEDIC.

SENIORE

PATRONO AC PRAECEPTORE AD VRNAM
VSQVE NON SATIS DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTABIT

AVCTOR

JOANNES ERNESTVS DAMISCH

MAGDEBVRGENSIS.

D. SEPT. clō lō cc XXXV.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.

Ex 220 271.

ando

at 1708

VOLEFF

gen,

Heera
fohlen

chrach



Schola Salernitana.

Potus aquæ sumtus comedenti incommoda præstat,
Hinc friget stomachus, crudus & inde cibus.

VIRIS
SPLENDORE NATALIVM AC MVNERVM
DIGNITATE CONSPICVIS
PERILLVSTRIBVS GENEROSISSIMIS
EXCELLENTISSIMIS

DOMINO
SIEGFRIDO GVERNERO
DE JAGAV

PROVINCIAE VETERIS MARCHIAE DIRECTORI ET
CONSILIARIO DOMINO IN AVLOSEN ETC.

DOMINO
ALBR. CHRISTIANO GANS
LIB. BARONI DE PVTLITZ

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS AVLICO SVPRE-
MI TRIBVNALIS QVOD STENDALIAE EST ET COL-
LEGII PROVINCIALIS CONSILIARIO DOMINO
IN PVTLITZ ET EICKERHOFF ETC.

DOMINO
JO. GVILIELM. FRIDERICO
DE LATTORFF

BORVSSORVM REGI POTENTISSIMO A CONSILIIIS IN-
TIMORIBVS EIVSDEMQUE AVLICO SVPREMI TRIBV-
NALIS VETERIS MARCHIAE NEC NON COLLEGII
PROVINCIALIS CONSILIARIO DOMINO
IN DEMKER ETC.

DOMINO
JOANNI GEORGIO
DE SCHVLENBURG

PROVINCIALIS COLLEGII VETERIS MARCHIAE CON-
SILIARIO DOMINO IN RITTLEBEN
ETC.

DOMINO
CAROLO GVILIELM.GANS
LIB. BARONI DE PVTLITZ

COLLEGII PROVINCIALIS CONSILIARIO DOMINO
IN PVTLITZ ET EICKERHOFF
ETC.

DOMINIS
MAECENATIBVS AC PATRONIS
NVNQVAM SATIS DEVENERANDIS

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

SACRAM ESSE CVPIIT
AVCTOR.



* * * * *

eu mihi, vix spreui vivis e fontibus vn-
das,

Jam mea Pegaseas Pieris haurit aquas.
Haurit, & affectus hinc persentiscit ob-

ortos,
Candida, quot laetum gaudia pectus
habet!

VESTRA mihi semper felicia nomina dico.

FAVTORES, forti sidera fausta meae.

VESTRA, quid est majus? reputo praeconia mecum,
Dum me sub VOBIS vivere fata jubent.

Nunc subeunt animo cedro dignissima facta,
Quae VESTRIS titulis splendidiora nitent.

Mox profert pietas, mox admiratio motus,
Quo plus contemplor, plus quoque crescit amor.

Gaudeo tot curas, quas VESTRI saepe clientes
Inter delatas experiuntur opes.

Cerno simul Themidos vos optima jura tueri,
Vos penes est regimen; ceu decet esse, bonum.

Felix est VESTRO, qui sub moderamine degit,
Vere felicem me simul inde puto.

Me fortuna vocat, dum mittor adire labores,
Sub VESTRO auspicio maxima fulcra, meos.

Tu mihi prae reliquis vetus hinc es Marchia cara,
Namque patrocinii tu mihi causa, novi, es.

Nam mihi dum monstras sedem certamque quietem,
Jure voco quodam nomina tanta meo.

Ac hanc vix digne possum celebrare salutem,
Sufficiunt menti vix mea verba meae.

Quid mihi! quo rapior? satis est, conspeximus urbem,
Urbem, quae superat, prosperitate pares.

Scili-

Scilicet haec nitidis fulgens spectatur in arvis,
Alluit hic fluctu littora Tangra suo.
Et perspecta fides hic & commercia florent,
Non civis miser est hic, nisi forte malus.
Hic honor & pietas quasi sunt simulacra penatum,
Et cumulata bonis, hic sedet alma quies.
Hic medicina mihi faustum faciendi per aevum est,
Quis mihi, quid forti par erit ergo meae?
Si quis in officio scit tot FAVORIBVS uti,
Vitam felicem censeat esse suam.
Hoc ego jam facio, nam maxima commoda nosco,
Quae mihi, quod cecini, munus in vrbe dabit.
Maxima, quid dico? certe majora redundant
Commoda, vos summos dum colo rite viros.
Est mihi propterea quaerenda occasio semper,
Vt vos suspiciam devenererque pie.
Nunc autem praesto, dum VOBIS trado libellum
Scribere pro Lauro quem Meditrina jubet.
Hunc igitur laeta pervolvite fronte PATRONI,
Quid paginae referunt utile semper erit.
Cernitis HEISTERI positum quoque limine nomen,
Quo nihil in scriptis scitis adesse mali.
Sumitis hoc ergo scriptum, sicut expeto, laetor.
Res VESTRO nutu stantque caduntque meae.
Numen pro VESTRA votis orare salute,
Pars erit officii, jam quoque magna mei.
Nam salus est multis aliis prosperrima VESTRA,
Dum VESTRAS curas REX FRIDERICVS amat.

DISSER-



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
AQVAE LAVDIBVS NIMIIS
IN MEDICINA SUSPECTIS.

PROOEMIUM.



Non dubito fore plerosque, qui, quousque rubrum hujus Dissertationis inspexerint, me protinus audentem, quinimo audacissimum proclamant, si pensitaverint, tot summos Æsculapii filios per plurima sæcula aquæ vires maxime laudasse, atque rationibus solidis superstruxisse. Non equidem fugit multis retro annis extirrisse Medicos, qui aquæ potum & usum tam egregium tanque insignem

signem iudicarunt, ut eum vtilissimum quinimo aquam pro medicamento aut Medicina universali pronunciaverint.

Vetustissimā aetas ficit nobis artis salutaris parentem HIPPOCRATEM, quo, quid ad laudes aquae potus addi possit, nihil invenio. a) Elegantissimus scientiae nostrae scriptor CELSVS, omnes equidem eo intendit nervos, ut aquae potum, ut solet, id est, omnibus verborum elegantis commendet atque extollat. b) Quid dicam de eo, nonne nostra tempora laudum atque elogiorum aquae plena sunt? Sunt omnino & fuere neotericorum quidam, qui vel omnibus tam internis quam externis curandis morbis eam credidere sufficientem.

Patentissimus sese mihi aperit campus, in quem excurrere facillimo negotio possem, si enumerando autores, qui aquae laudes cecinerunt, chartas implere constituisssem. Sed prodeant tantum quidam eorum, quorum coryphaeum agnosco Fridericum HOFFMANNVM, qui non solum variis, de aqua medicina universali, scriptis singularibus, verum & passim in aliis suis doctissimis voluminibus aequae ea confirmare fatagit.

Occurrit praeterea acutissimus BOERHAAVIUS artis nostrae facile princeps, qui quidem paucis at satis iudicio plenis verbis aquam ejusque potum omnibus accommodatum ficit. De quo non tantum eiusdem institutiones, verum etiam aperte Chemia loquun-

a) lib. de aquis aere & locis, & passim in aliis suis scriptis.

b) Singularia loca exstant Lib. I. Cap. V. & cap. VIII.

loquuntur, c) quamvis uti infra monebimus satis sobrie atque accurate hac de re alias edisserat. Eiusdem argumenti probationem in se susceperat Dn. D. CARL in Diætetica sua sacra, ac cel. D. HAHNIVS Schweidnizensis, Silesius Practicus, imprimis vero SCHWERTNERVS in collect. script. de aquis, pieraque hac de re collegit atque in ordinem digessit. Sunt omnino adhuc alii quamplurimi, quos brevitatis tamen causa omitto, qui omnes eo collineant, ut tam aquae potum, quam eiusdem usum externum, ad cælum usque elogiis suis extollant.

Ast si, præiudiciis omnibus sepositis, fatendum quod verum est, suadet nonnunquam partim ratio, excellentissima ista scientiæ nostræ basis, partim subiectorum quorundam dispositiones peculiare, quas *idiosyncrasias* appellant, ab experientia, fulcro illo

A 3

medi-

- e) Non possum non quin hac occasione pauca disticha, omnia dicta in se continentia, ex ephemeridibus *Belustigungen des Verstandes und Witzes* dictis, adducam, quæ ita satis ingeniose sonant.

Hippocrat, den Cos verehret,
Zieht dich selbst dem Weine vor,
Wenn sein Aphorismus lehret;
Συμφερα πολυ υδωρ
Und Galen: de humido
Sagt sehr klug und weislich so:
Prodest aquae potio.

Celsus zeigt schon unterm Tittel:
De Potationibus,
Durch ein ziemlich lang Kapitül,
Daß man Wasser trinken muß.
Hermann Boerhaav schreibt ja:
Aqua paulo frigida
Potio est optima.

medicinæ non secundo desumptæ, non ut ab illius usu utentes plane abstineant ac desistant solum, sed præterquam, quod tantis in morbis curandis elogiis effertur, spem nostram omnino nihilo minus etiam mirifice fallat. Quæ cum ita sint, cum de argumento Dissertationis inauguralis cogitarem, placuit laudes nimias aquæ in Medicina paulisper moderari, atque *de laudibus aquæ in medicina nimis suspectis* quædam specimen loco proferre. Pro stabilienda vero hac sententia observationes & casus quosdam ab Excell. Domino PRAESIDE Patrono ac Præceptore meo ad urnam usque non satis devenerando, relatos; verum & quæ & ego tam legendo quam observando vidi, apponere constitui.

§. I.

Quid sit
aqua.

Inutile profecto in me laborem susciperem, si multis verborum ambagibus ac speciosis distinctionibus aquam definire, vel singula de ejusdem affectionibus proferre anniterer. Tot etenim tantæque hac de re exstant volumina, ut, quid addi possit, ego non inveniam. Celeberrimus enim BOERHAAVIUS in elementis suis Chemiæ tanta soliditate tantæque ingenii *ἀκριβείᾳ* omnia quævis in aqua occurrentia notavit, ut huius instar omnium commendatum habere possimus. Attamen cum dicendum, quid res sit, de qua loquimur, idem ipse Autor est, *aquam esse liquorem valde fluidum, inodorum, inspidum, pellucidum, excolorem, qui in certo gradu frigoris in glaciem fragilem, duram & vitream congelescat.* Exellentissimus

mus Dn. GERIKE, præceptor ac promotor meus longe spectatissimus, in Fundamentis suis Chemiæ rationalis sequentem nobis aquæ refert definitionem. *Aqua*, inquit, *est corpus fluidum, pellucidam, excolor, insipidum, inodorum, ad tactum lene, corpora solida humectans.*

§. II.

Notamus idcirco, tanquam in transitu, pauca tantum ad rhombum nostrum facientia. *Fluiditatem* aquæ vocamus illam affectionem, qua particule eius vi levissima inter se coherent, adeo ut ubique facillime tactu a se invicem separari queant, quam aquæ competere a caloris materia, satis solide, ut solet, deduxit Celeb. noster GERIKE in lib. cit. Hanc in aqua semper eo magis inveniri, quo partes heterogeneæ absunt, quivis statim, me non monente, videt. Quapropter aqua pluvialis omnium fluidissima ut plurimum censetur, quia vel ipsa destillatione naturali, ab omnibus, quibus potest, diversis partibus segregatur atque secernitur. *Inodorum* aquæ vocamus illam ejusdem affectionem, qua ab omnibus volatilibus, sulphureis, spirituosis particulis est orbatum. Nemo profecto tam emotæ mentis erit, qui aquam, variis odorum generibus scatentem, pro aqua pura venditaret. *Insipidam* nominamus aquam tunc, quando omnes spirituosæ, oleosæ, salinæ partes ab illa remotæ sunt. *Pelluciditas* vero aquæ audit nobis illa affectio, qua luminis quosvis radios sine impedimento transmittit, ex quibus *excolor* aquæ prono fluit alveo, & erit, si ab omnibus colorum generibus liberum

Definitio
explicatur.

rum deprehenditur. Nemo me facile hic vitii in definiendo accuset; in coloribus enim extricandis lubentissime ignorantiam cum plerisque physicis agnosco. *Glacies* ex aqua fit, quando materia caloris avolat.

§. III.

Aliæ aquæ affectio-
nes no-
tantur.

His ita præmissis facillimo negotio omnes reliquæ aquæ affectiones deduci possent, si ab aliis jam notata transcribere mens nobis esset. Satis fit dictum, aquæ puræ competere *levitatem, lenitatem, potentiam solvendi & temperandi salia, gummata sive gummosa & viscida quædam corpora, saponem & reliqua.* Cuicumque vero maius ut accendatur lumen libuerit his in affectionibus, adeat BOERHAVII atque Celeberr. nostri GERIKE Elementa Chemiæ Cap. de aqua, in quibus, ut reliquis eorum scriptis, ita hac in re solidam eorundem doctrinam admirabitur.

§. IV.

Quid aqua præ-
flet in
corpore
sano.

Ne tamen plane in partes contrarias abire videamur, fatendum omnino erit, *quid corpori sano* ex ejusdem potu evenire queat commodi. Est omnino machina nostra a summo conditore tam sapienter fabricata, ut apponendo solida solidis, fluida fluidis, corpus nostrum partim struatur, partim appositione novarum crescat, atque in determinatam quandam molem sese extendat; tandem, cum semper quædam eiusmodi particulæ avolent atque deterantur, novæ denuo apponantur atque refarciantur. Hæc vero mutua appositio necessario particularum nutriendarum requirit ad suas quasque cellulas translationem. Ex principiis physiologicis vero patet, hanc novam appositionem

tionem non, nisi motu harum partium continuo, contingere posse. Ex iisdem porro innotescit, *fluida utramque hac in re absolvere paginam*: dum motu eorundem continuo, partes nutritias ad locum debitum apponunt. Non vero is sum, qui aquæ laudem, quam ei hac in re merito debemus, detrudere audent, ab eo potius in illorum partem, qui fluido hoc præ reliquis palmam deferre non erubescunt; id quod non solum per levitatem, sed & præcipue propter fluiditatem, peragere commode potest.

§. V.

Æquilibrium inter solida & fluida semper obtinendum ac procurandum esse in nostra naturali machina, nemo nisi Physiologiæ prorsus ignarus in dubium vocabit. Ad hanc vero conservandam certam fluidi quantitatem haud secus ac solidorum robur requiri, quis etiam, me non monente, videt. Et est profecto aqua ut in plurimis etiam aliis, ita & hac in re valdopere utilis. Præterquam enim quod, quo magis ab heterogeniis partibus orbata est, eo subtiliora vascula permeare facillime potest; ita *visciditati humorum*, æquilibrium citissime destruenti, profecto egregie contrariatur.

Quid porro præstet.

§. VI.

Habet præterquam aqua in medicina & præcipue in corpus eiusdem sanum admodum insignes usus, quos vero ad supra dictos (§. IV. & V.) revocari posse credimus. Sed, ut & quæ ab aliis ad eiusdem laudes in hoc passu adducantur, dicendum restat. Autor est Fridericus

Quæ ab aliis in hoc passu adducuntur.

B

HOF-

HOFFMANNVS in Diff. de aqua medicina uniuersali, & multi alii, qui hac in re cum ipso sentiunt, *sine aqua usu nec uinum nec integrum corpus nostrum permanere posse.* Porro idem §. VI. eiusdem Diff. affirmat; *aquam omnibus naturis & omni tempore esse convenientissimam.* Egregium addit §. XIV. elogium: *Nihil, inquit, salubrius, nihil uitæ accommodatius, nihilque ad hanc tuendam aqua est magis necessarium, quippe quæ naturæ humanæ est convenientissima, sine qua nec corpus durare, nec uita diu satis persistere potest.* Pergit idem §. XVII. Potatores aquæ, modo fuerit pura & bonæ notæ iis, qui uino & cereuisiis utuntur, & *saniores & longæuiores sunt, quin & edaciores ut plurimum & pinguiore reddidit,* uti FONSECA de sanitate tuenda pag. 51. notauit. Eodem §. paucis interiectis pergit: porro aquæ potatores *denies habent longe firmiores & nitidius albicantes,* quod putredo & dentium caries scorbuti soboles sit, cuius genesin aqua pura pota impedit, dum sanguinem purgat a fordibus, quæ per aperta emunctoria sua sponte feruntur. Tum aquæ potatores in omnibus iam animi quam corporis actionibus, iis, qui cereuisias bibunt, longe sunt alacriores. Imo quidam eosdem pro strenuis in castris ueneris militibus habent, quod Tiraquelli ac Caroli XII. Suecorum regis exemplo probare fatagunt. Sed quid ulterius his aquæ laudibus immoror, hæc satis sint elogiorum, quæ ab aliis pro stabilienda sententia afferuntur, ut probent, aquæ potum omnibus, omni tempore, esse convenientissimum.

§. VII.

Non possum non, quin hac occasione speciosissimum quoddam argumentum, quo aquæ fautores suam superstruere firmis trabibus adsolent sententiam, paulo curatius perpendam. Antiquissima illa ætas, qua simplex vitæ genus ac aureum, ut poætæ canunt, florebat sæculum, sistit nobis *ditissimos annorum mortales*, quo nonnulli non ad centum solum, verum trecentos, quingentos, imo nongentos annos pervenere. Non hodie ergo aut nudius tertius primo, diversa ab his vitæ nostræ periodus, movit eruditos, ut quæstionem sane gravissimam ventilaverint, unde tanta diversitate prima hominum soboles, si ad ætatem eorum respexeris, gaudeat? Est omnino & fuit eo magis inter eruditos agitata quæstio, quo anxius semper unusquisque longævitatē adspirat atque anhelat. Varii varia hac de re disputarunt, nobisque litteris suis consignarunt. Inter omnes caput extulere ii, qui potui aquæ hanc longævitatē potissimum tribuere. Quemadmodum vero hujus quæstionis excussionem, nimium a scopo nos abducere posse, arbitramur, ita suo loco hac de re infra pauca tantum monebimus.

Argu-
mentum
aquæ fau-
torum al-
legatur.

§. VIII.

Sed redeat oratio, ubi digressa est, & *quid vere* Quid vere in morbis curandis præset, nunc dispiciamus. Da- in morbis aqua præ-
ri omnino plurima morborum genera, ab humo-
rum nostrorum spissitudine dependentia, id equi-
dem ex pathologicis patere arbitror. Viscidum ve-

iversalis,
ne aqua
permane-
ntis a-
Te conce-
elogium:
ius, nihil-
n, quippe
sine qua
stere p-
odo fut-
is utur-
edacio-
NECA
paucis
habent
redo &
genesin
urgat a
onte fe-
am ani-
stias bi-
eosdem
nt, quid
egis ex-
his aquæ
quæ ab
probenr,
conveni-

§. VII.

ro est, quod vasis lateralibus tenaciter adhærescit, ita ut propter latam suam superficiem penetrare nequeat, auctore BOERHAVIO, dependetque ab liquidi cujuscunque nimia exhalatione. Etenim cum tota nostra humorum massa, scateat particulis gelatinoso nutriticiis, non potest non, quodsi liquidum nimium exhalet, oboriri spissus humor. Huic ergo visciditati per se, exceptis aliis, quæ occurrere solent, symptomatibus, *egregie aquam opitulari*, qui neget, credo fore neminem. Etenim si fluidum illud subtilissimum particulis viscidis tenacibus additur, per motum continuum vasorum miscetur, non potest non, quin fluiditas ac æquilibrium iterum revocetur, probantque hoc experimenta in culina.

§. IX.

Inter præcipuas humorum nostrorum depravationes merito *acrimonia* eorum erit referenda. Vocamus vero acrimoniam, redundantiam particularum salinarum in humoribus, ita ut partes vel actiones corporis nostri lædat. Hanc varia ratione, variisque modis induci posse, ex pathologicis patet. Etenim vel usu aut potius abusu alimentorum acrium, vel ipsa sanguinis determinatione ac liquidorum attenuatione eo degenerant. Non dicam de eo, quod acrimonia sæpe cum visciditate coniuncta sit. Sicuti vero aquæ potui in morbis a spissitudine humorum dependentibus, laudem debitam tribuimus, ita & demulcendo ac temperando acre sua quoque meretur elogia. Etenim propter fluiditatem suam summam, non tantum omnis generis minima vascula permeat, particulasque acres diluit, verum & ipso motu particulas

ticulas jamjam lateribus vasorum affixas, insigniter propellit & abstergit. Posteaquam vero nunc, plerosque, quos aqua in morbis præstat, vsus enumeravimus, non tamen exinde sequitur, acsi in omnibus his ab acri, aut viscido dependentibus morbis, ut vniversale quoddam medicamentum commendaremus. Quemadmodum enim acre cum viscido, viscidum cum acri & multis innumerabilibus aliis qualitatibus coniunctum atque constipatum est, ita etiam nec in his omnibus opem ferre posse arbitramur.

§. X.

Ex his itaque satis plurimos, quos aqua in mor- In quibus
bis effectus edit, explicari posse videtur. Sed reli- morbis ab
quum est, ut *in quibus morbis ab aliis aquæ fautoribus* aliis lau-
laudetur, dispiciamus. Fuere quidem multi inter quos detur.
HIPPOCRATEM AC CELSUM nominare tantum lubet, qui aquam *ad omnes tam præservandos quam curandos morbos sufficere asseruere*, ideoque hæc satis dicta esse possent. Attamen ut scopo nostro eo melius satisfiat, singulos seorsim, in quibus laudavere morbos, paullo specialius & curatius recensere placet. Sic supra laudatus HOFFMANNVS, nullum, inquit, *remedium ad conservandam sanitatem & morbos præcavendos est aqua præsentius*, nominatque aquam adversus omnes imminentes morbos *efficacissimum præsidium*; & paulo infra: *aqua universale est remedium, omnibus naturis & omnibus morborum indicationibus convenit.* Varios alios ex auctoribus desumptos casus porro (§. XXI.) producere pergit, quorum primum ex RIDLINI lineis medicis hausit, qui modo dictus

cachecticum nobis, immo *tabe confectum* per aquae pluvialis potum curatum, exhibet. Alter ex RIVERRIO depromptus est, qui menses vitiosos & subsistentes aquae potu restituit. EX MARTIANO porro perhibet, solo aquae frigidæ potu Bernerium Cardinalem a *Podagra* perfecte sanatum fuisse. Identidem RONDELETIVS in Praxi: *Ego*, inquit, *multoties aquae frigidæ potu podagricos sanavi*, quod facilius succedit in biliosa. Laudat tandem *in coli doloribus & flatibus, in morbo comitiali, dolore capitis, & generatim pro anodyno* venditat. Alii his folis non contenti fuere laudibus, sed & præterea *in eruptione variolarum, petechiarum, morbillorum, in asthma, in vomitu cruento, omnibus generis hæmorrhagiis excedentibus, doloribus colicis, diarrhæa, dysenteria, inflammationibus interinis, febribus intermittentibus, nec non acutis, in ictero, arthritide retropulsa, in tussi, malo ischiatico, scabie, malo hypochondriaco, melancholia & mania, malo hysterico, deliquis animi, appetitu prostrato, scorbuto, apoplexia, singultu, phthysi, urinæ difficultate, imo ipsa peste ac hydrope & nescio quibus aliis morbis præcipue extulere.*

§. XI.

Quidam vel in externis morbis laudant. Fuere identidem nonnulli, qui vel effectus aquæ *in morbis externis* curandis insignes proclamarunt. Sic in affectibus omnibus cutis, omnibus vulneribus, imo inveteratis ulceribus, ad suppurandos abscessus, in luxationibus, contusionibus, ambustionibus, varis faciei, verrucis, pernionibus, ac omnibus dentium morbis, tam pro usu externo, lavando, eluendo ulcera

ulcera & reliqua, quam interne bibendo, in his ipsis dietis morbis egregios adscripsere effectus.

§. XII.

Sed ut ad scopum nostrum propius accedamus, Quomodo laudes necessum nunc erit, ut ostendamus *quomodo laudes aquæ* 1) *si ad corpus sanum respexeris, sine limitandæ.* Induluisse ii omnino nimium ingenio suo videntur, qui aquæ laudem tantopere extulere, ut sine eiusdem usu nec vivum nec integrum corpus nostrum manere possit, aquamque omnibus naturis & omni tempore esse convenientissimam. Non equidem is sum, qui hoc generatim de fluidis neget, sed ne solo aquæ potui hoc insigne elogium concedam, partim ratio partim experientia vetat. Dantur etenim *diversi corporis habitus, quos Medici ac Philosophi temperamenta* nuncupare adsolent, inter quos & speciem, quam *Phlegmaticorum* nomine venditant, enumerant: his etenim tantum abest, ut solum aquæ potum suadeam, ut potius plane ab hoc abstinere illos tere debere sustineam. Cum enim corporis habitu gaudeant plerumque laxiori, minusque stricto, per experientiam autem certum sit, aquam fibras adhuc laxiores atque debiliores reddere, nemo profecto a me impetrabit, ut hos ex charybdi in scyllam ruere sinam. Quinimo ipsa rerum *magistra* experientia sistit nobis nescio quot hominum myriades, cerevisia aut vino indefinenter utentes atque se delectantes, qui attamen vivi, sani atque integri conspiciuntur. Consentientem hac in re mecum video Cel. SCHVLZIVM, qui magno artis nostræ detrimento nuper fatis cessit, in *Diff. de Errori-*

Quomodo laudes aquæ l. in corpore sano sine limitandæ.

Erroribus in medicina & Chirurgia qui pag. 45. ita scribit: *Minime intelligendum, aquæ usum etiam iis prodesse, qui humoribus pituitosis, & aqueis scatent, ut sunt phlegmatici, quibus omnino calidus & exsiccans victus regimen & diæta conducit.***

XIII.

Vberius limitantur.

Haud secus a recto tramite ii recessisse mihi videntur, qui *aquæ potatores, & saniores & magis longævus, quin & edaciores & pinguiores* credidere iis, qui vino aut cerevisia utuntur. Ad singularem illum gradum sanitatis aquæ potatores quod attinet, non equidem video, qualis ex solo aquæ usu redundare possit athleticus corporis habitus. Comparanti etenim atque examinanti mihi quævis, maiorem me hercule numerum sanorum, vini aut cerevisiæ potatores, ac quidem aquæ invenirem atque proponerem, non dicam de rusticis ac ruricolis multisque civibus in civitatibus fere *athletico sanitatis gradu ex cerevisiæ potu gaudentibus. Longævitatem vero qui ex solo aquæ potu derivant*, haud secus a vero aberrare mihi videntur. Pauca quædam supra de longa primorum hominum vita disputavimus, ut paucula nunc addam, necessum videtur. Monuimus etenim supra (§. VII.) laudatores aquæ insignem annorum seriem, quo illi accesserunt, potui fluidi nostri adscripsisse, indeque argumentum insignis roboris, pro asserenda eorum sententia desummsisse. Quodsi vero totum mortalium
eo

**) Eisdem fere verbis hanc nostram sententiam confirmat, BOUVIUS in operibus suis pag. 36. & 226.

eo tempore viventium vitæ genus consideraverimus, eorundem simplex vivendi ratio, qua fructibus, herbis ac radicibus contenti erant, nostro comparari nullo modo poterit. Non dicam de eo, quod eruditissimi oraculorum divinorum interpretes, specialem supremi moderatoris in hoc passu iam dudum agnoverint providentiam. Qui enim fieri potuisset, ut sine hac longævitate hominum soboles satis cito propagari, ac scientiæ & oracula divina in posteros oretenus, apte transferri potuissent. Cæterum ad *edacitatem* aquæ potatorum quod attinet, nil equidem refert, quodsi etiam concederem, satis sit, voracitatem ad morbos facilius præbere ansam, ac in his moderationem, & si *ex pinguedine vel obesitate corpori* nostro insigne emolumentum enasceretur, tunc in partes eorundem abire non erubescam.

§. XIV.

Supereft, vt pauca adhuc ad id respondeamus, Nec o-
 quod *aque potatores dentes habeant firmiores ac ni-* mnes a-
tidius albicantes. Absit quidem a me, vt in univer- quæ po-
 sum de existentia eiusmodi hominum dubitem. Sed tores
 utrum ab aquæ potu, an ab alia caussa hæc depen- h. bent
 deant, hæfito, aliisque diiudicandum relinquo. dentes fir-
 miores ac
 Norum mihi est e contrario exemplum Comitis cu- nitidiores.
 jusdam, & quidem adhuc juvenis, ac in flore æta-
 tis constituti, qui, licet nihil nisi aqua pro potu,
 & nullo prorsus neque vino neque cerevisia usus sit,
 nihilo secius non tantum *dentes tetro colore obductos,*
 verum & valde *erosos* conspectui dedit. Novit præ-
 terea illust. D. PRAESES nobiles virgines & mulie-
 res,

C

res, quæ, quamvis quoque sola aqua pro potu utantur, dentes tamen valde corruptos habent. Quanquam quidem non ex aquæ potu hanc dentium corruptionem dependere crediderim, attamen meo quidem iudicio ex his liquet, aquæ potum dentium firmitatem, eorundemque album colorem haud efficere, sed suam impotentiam hac in re exemplis quotidie obviis, nobis ostendere, adeoque nimis hic laudari. E contrario novi multos, qui & vinum & cerevisiam bibunt, attamen dentes habent integerrimos atque nitidissimos.

§. XV.

Nec ad
formosita-
tatem
quid-
quam
confert.

Neque aquæ potum ad pulchritudinem, formositatem, nec vivaciorem faciei colorem, quidquam conferre quisquam mihi persuadebit. Novi enim non tantum cerevisiam aut vinum potantes, qui vel Dianæ vel Veneris speciem præ se ferunt, sed & his longe deformiores utriusque sexus mihi cogniti sunt, qui aquæ potu utuntur. Excellentissimo D. PRAESIDI non tales solum noti sunt deformes virgines, qui aqua potu continuo usæ sunt, sed tales quoque, tam virgines, quam mulieres, imo & mares, qui propter faciei deformitatem & exanthemata pustulosa, varos, maculas rubicundas, aliasque faciei asperitates atque impuritates aquæ potus usum inchoarunt; nihilo secius tamen, non ab his solum malis non liberati fuerunt, verum vehementius quam antea deturpati, & quidam eorum omnino in guttam rosaceam inciderunt.

§. XVI.

§. XVI.

Reliquum est, vt insignes *scriptorum laudes, quas* Laudes aquæ potui 2) in morbis internis curandis adscribunt, aquæ in morbis internis curandis limitat. dæ. paululum moderemur. Quivis statim, me non monente, iudicabit, laudes istas, quod aqua ad omnes morbos præservandos ac curandos instar *medicamenti universalis* sit adhibendum, insignem requirere limitationem. Etenim quodsi hanc laudem aquæ competere certus factus essem, quid opus esset Medicis? nam si aegris per aquæ potum, secuta atque probata remedia in omnibus morbis ad manus essent, vel si, nescio quo fato, in eosdem inciderint, per idem medicamentum cito, tuto ac iucunde curari possent, remediis aliis non indigerent. Accedit, quod certo certius sim persuasus, ipsos aquæ laudatores hoc solo pharmaco nunquam in morbis curandis contentos esse, sed alia ex quovis naturæ regno, vel hoc seposito in vsum trahere & simul usurpare.

§. XVII.

Adduxi præterea supra (§. X.) *varios fere miraculosos casus*, quos fluidi nostri fautores ad confirmandam suam sententiam adducunt. Sed præterquam, quod multi morbi soli naturæ arbitrio relictis, per se haud raro curentur; semper etiam remanet dubitandi occasio, an per solum potum aquæ tales insignes producti fuerint effectus. Ponamus etiam, licet non concesserimus, RIVERII ægram, quæ mensibus suppressis laborabat, aquæ potu restitutam esse; attamen, cum aliæ ob alias diversas causas hoc morbo laborent, nemo certe a me impetrabit, vt

omnibus hoc morbo afflictis, hunc potum commendem. Etenim si forte hac curatione in corpus phlegmaticum, frigidum, pituitosum sive cachecticum quis incidit, facillime contingere posset, ut in quosvis alios insanabiles affectus hydropicos ægram proiiceret. Nec me MARTIANVS (§. X) movet, dum ipsum nomen & officium ægri, quem a podagra per potum aquæ frigidæ liberavit, adduxit. O felicem mehercule Martianum, si ad generi humano tam crudelem hostem profligandum, tam vile & facile parabile remedium excogitasset. Longe profecto minor foret numerus atroci hoc morbo laborantium, si hunc effectum in eiusmodi ægris certe præstaret. Narravit mihi contra Excell. Dn. PRAESES exemplum clarissimi hac in urbe, dum viveret, viri, qui non tantum potu aquæ semper contentus fuit, sed cæterum quoque satis cauto vivendi genere usus est, nihilo secius tamen, in arthritica mala ac *podagram atrocissime sævientem* sæpius incidit, ita ut vix vel saltem difficulter, etiam extra paroxysmum, incedere potuerit. Habetis egregium sane aquæ potus in podagra effectum. Contra vero aquæ frigidæ potum causam arthritidis fuisse, autor est GABELCHOF. Cent. II. Curat. 55.

§. XVIII.

Uteriusli-
antantur.

Ignoscant præterea mihi laudatores aquæ, si plures eorum casus, imprimis insigniores, quos fluidi nostri potu curatos dicunt, in dubium vocem. Quis etenim *coli dolores* a causâ frigida ortos, interdum satis atroces? quis *morbum comitalem*, quis *luem veneream* sola

sola aqua curatos affirmabit? hi profecto ludibrio hominum se exponunt. Non dicam de eo, quod coli dolores per hunc ipsum potum introduci facillime possint & soleant.*) Quis *dysenteriam*, **) quis *mentis alienationem*, ***) quis *melancholiam* hoc medicamento curabit? Innotuit mihi ante biennium vir, cuius nomen honoris causa silentio prætereo, qui, cum morbo melancholico afficeretur, & ipsi potus aquae commendaretur, huic consilio locum daret, tantum absuit, ut huius usu ad sanitatem optatam redierit, ut potius in maniam miserissimam, in qua catenis ac vinculis alligatus adhuc vivit, inciderit. Videris mirabilem casum, quem si aquæ fautor vidisset, profecto obstupuisset, & a nimia aquæ laude in posterum forte abstinuisset.

§. XIX.

Insigne sese mihi adhuc offert emolumentum, Neque in quod fautores a liquido nostro dependere autumant, febribus *dum ad calorem præter naturam februm acutarum* est univ- præsertim malignarum infringendam ac destruendam. *divinum* vocant remedium. Verum Excell. *est* medicamen- tum. D. PRAESES sæpius notavit, quod licet ægri variis in acutis copiose aquam biberint, attamen æstum

C 3

inter-

- *) Aquæ frigidae haustum *lypohymiam* & *ingentem ventriculi dolorem* induxisse perhibet HILDANUS Cent. IV. obs. 29.
- **) Periculosum hic aquæ potus effectum notavit HILDANUS Cent. IV. obs. 43.
- ***) Hanc post aquæ frigidae potum ortam idem auctor vidit HILDANUS Cent. IV. obs. 38. Omnes hi adducti auctores per aquam frigidam non insignem quandam frigoris gradum intelligunt, sed quatenus tantum a calida aut tepida distinguitur.

internum & colorem urinæ igneum univ ersali hoc remedio nulla ratione fuisse imminutum, sed tam calorem illum, quam colorem urinæ p. n., licet etiam acida ac nitrofa medicamenta simul fuerint adhibita, ad mortem usque perdurasse, & aqua superari non potuisse. Et si etiam his ægris præcipitur, ut largo aquæ potu continent, ex nimia ventriculi per aquam repletionem & distentionem, in intensissimas simul præcordiorum angustias ipsos incidere sæpe observatur; quid quod haud minus in acutis, præfertim malignis, imprimis si ægri delirii correpti fuerint notare licuit.*) Non possum non, quin hoc loco pauca ex *Valisnerii* doctissimo scripto, cui titulus: *de usu & abusu potuum & balneorum tam calidorum quam frigidorum*, adiciam; sic etenim p. 41. dicit, aqua frigida omnes febres turbat, & paulo post ex *Tralliano* lib. I. cap. 58.: *Quamvis enim frigida potio mitigare videatur, tamen maiores postea & malignas febres excitat, ut etiam alienatio mentis augeatur, breviter omnia ad deterius maligniusque convertantur.* Ita & sæpius laudatus *Hildanus* Cent. III. obs. 38. exemplum notavit, *feбри laborantem aquæ frigide uno haustu subito interiisse.**)* Sic *Excell. D. PRAESES* narravit mihi exempla quarundam virginum, sola aqua pro potu ordinario utentium, quæ non solum in febres intermittentes inciderunt, verum quæ etiam tanta ferocia in iis sævierunt, ut

*) Specialissime hanc doctrinam ventilavit (eleb. Verdries in *Dis. de aquæ frigidæ potu vtili & noxio in febribus ardentibus.* Giesæ 1723.

**) conf. *FORESTVS* lib. X. de cerebri morbis obs. IV. Schol. itemque *PECHLINVS* de purgantibus Cap. XXXIII pag. 267. & *TVLPIVS* obs. LIV. Cap. XI.

ut aqua nullo modo, & vix heroicis istis antifebrilibus
adhibitis liberari ab illis potuerint. *)

§. XX.

Ita etiam aquæ potum *ventriculi debilitatem in-* Falso in
ducere posse, vel ex ipsis sacris litteris patere mihi *ventriculi*
videtur; dum divus Apostolus P A V L V S I. Epist. *debilitate*
ad Timotheum data Cap. V. v. 23. carissimo suo *hydrope,*
Timotheo, qui per aquæ potum debilem ventriculum *ac peste,*
sibi contraxerat, vt vinum huic addat, persuadere fa- *laudatur.*
tagit. Quod & Schola Salernitana, *Villanovanus* aliique
confirmant. Video præterea quosdam, qui vel *in i-*
psa hydrope, aquæ potum insigni verborum elogio
extollunt. **) Sed partim ratio, partim frequens in
auctoribus obvia experientia, me movet, vt hoc
remedium in morbis hydropicis valde anceps pro
nunciem. ***) Illos vero, qui vel in ipsa *Peste* quasi
panaceam commendant, vt quidam Medicus Gal-
lus GEOFROY dictus, fecit, ad supra de febribus
malignis dicta (§. XIX.) relego, atque, vt nun-
quam hoc in morbo eiusdem effectum experian-
tur,

- *) conf. D. Gemeinhardt's Diff. de potu aquæ salubri & noxio §.
30. Itemque Cel. D. Juchii Diff. de noxio frigida aquæ simplicis u-
su pro potu ordinario in statu sano & ægroto.
- **) Hic imprimis notandus erit, Cel. D. HAHNIVS in *Unterricht von*
Kraft und Wirkung des frischen Wassers, bey dessen innerlichen
und äusserlichen Gebrauch: cuius in libr. Cap. V. p. 17. agit: von
Nutzen des frischen Wassers in langwierigen Krankheiten, besonders in
der Wassersucht.
- ***) PANAROLVS Pentecost. III. obs. 42. fassit nobis hominem,
calidum & siccum, qui ex frigido potu hydropicus factus,
occubuit. Idem affirmat D. D. GEMEINHARDT. in *Disf. al-*
legat. §. 28. Conf. etiam BOERHAAVIUS in *Chymia* Cap. de
aqua, & passim in Aphorismis de cognoscendis & curandis
morbis, qui egregie atque accurate hac de re iudicat.

tur, sed valentiora hac remedia sibi eligant, ex animo apprecor.

§. XXI.

Frigida
in capitis
doloribus
laudatur
cum pe-
riculo.

MAYERNE celeberrimus quondam in Anglia Medicus, refert. *) Episcopum cestriensem longo & rebelli capitis dolore vexatum, a quodam qui diutissime eodem affectu conflictatus fuerat, irritis omnibus aliis præfidiis, sequens accepisse remedium, a quo ipse convaluit, & deinceps plurimos alios curavit. Linteum nempe imbutum aqua frigidissima toti calvariæ applicavit, atque aliquoties renovavit applicationem; postea caput optime siccavit. Ipse vero addit hoc monitum, quod caute ob metum nimiae refrigerationis cerebri, a qua apoplexia aliique graves morbi oriri possent, hoc remedium sit adhibendum. Sed si Medicus apud nos ægro alicui hoc suaderet, atque hic æger, post huius usum peius se haberet, vertigine, vel ipsa apoplexia, phrenitide aliove gravi morbo corripereetur, ut sane facillime ab eiusmodi usu contingere posset, quia multi inveniuntur, qui nullum humidum, & præsertim frigidum, multo minus *frigidissimum*, præsertim hyeme, sine insigni læsione supra caput perferre possunt, quilibet fere hunc Medicum temerarium, & periculi plenum consilium dedisse sine dubio affirmaret, eumque temerarii a fortuna incerta pendente facti reum ageret: sic ut aquæ laudes hic merito sint valde suspectæ effectusque eius valde incertus imo sæpe perniciosus.

§. XXII.

*) Vid. MAYERNE Praxis medica Cap. VIII de dolore capitis itemque FLOYER & BAYNARD in suis scriptis de Balneis calidis & frigidis, Londini editis A. 1709.

§. XXII.

Ita etiam nonnulli valde laudarunt *in accedente arthritide sive podagra*, ut pes vel pedes affecti mox in aquam frigidam immittantur, ibique tam diu in ea contineantur, donec omnis rursus dolor cesset, atque magnopere huius remedii simplicis effectum his in casibus celebrarunt. Sed quis in Medicina adeo hospes est, ut ignoret, quam noxia sit podagræ repulsio in corpus, & quam multi ex podagra retropulsa, & quidem subito sæpe mortui sint; maxime si consideramus, quod natura noxium & abundans quid e corpore per pedes, tanquam partes internis minus nobiles, per insensibilem transpirationem expellere satagit, quod re vera frigida aqua repelli videtur. Hinc profecto multi morbi noti, & in scriptis medicis notati inveniuntur, qui ex sola pedum, præsertim subitanea refrigeratione, immersione, vel illapsu in aquam frigidam orti, quibus ægri vel succubuerunt, vel saltem gravissime ægrotarunt; ita ut aquæ hic usus & laudes prudentioribus sane valde suspectæ, atque alex plenissimæ mihi videantur. Id quod etiam de *paralyti* valere potest, quam usu aquæ sive balneorum frigidorum curatam esse, scribunt, modo laudati FLOYERVS & BAYNARDVS in scriptis antea adductis.

Ita & in
accedente
arthritide
sive podagra.

§. XXIII.

Eodem fere modo se res habet, ingeniosissimi LOCKII consilium, quod præbet in libro suo, quem de *infantium educatione* conscripsit: in quo vult, ut infantibus, præsertim imbecillis ac tene-

De im-
mersione
pedum in
tantum in
aquam

D

reriori-

rioribus, imo vacillantis sanitatis, pedes quotidie in aquam primo tepidam, postea moderate frigidam, denique frigidissimam per aliquod tempus immittantur, eoque eiusmodi infantes reddi sanos, vegetos ac robustos. Sed non sine ratione periculosum ac temerarium videtur hoc consilium plerisque cautiore Medicis, ita ut pauci adhuc illud sequi voluerint, quia facile inter infantes esse quidam possunt, qui aquæ frigidæ, imo frigidissimæ vsum perferre sine morbis inde metuendis, aut ipsa morte non poterunt: dum sæpissime observatur, multos infantes a sola pedum refrigeratione, in omni generis catarrhos, coryzas graves, tusses dyspnoeam, asthma, apoplexiam &c. incidere & sæpissime inde mori, sic ut laudes huius aquæ frigidæ hic valde debeant esse suspectæ.

§. XXIV.

De vomitu cruento per aquam gelidissimam curato.

Sic celebris quondam Medicus venetus MICHELOTUS, a quo doctum librum *de separatione fluidorum in corpore animali* aliaque docta scripta habemus, ante aliquod annos in quibusque fere periodicis scriptis, & actis doctarum societatum europæarum, inferi curavit observationem, a) quod aquæ frigidissimæ potu tandem vomitum quendam cruentum in iuvene nobili curavit, quem Medici aliis remediis curare haud valuerint; maximisque laudibus hoc in morbo aquæ frigidissimæ potum hic celebrat. Sed an *Michelottus* aut alius quiscunque spondere certe poterit, hunc effectum, sine noxa, in omnibus aquæ potum frigidissimum præstiturum esse. Hoc ego sane

a) vid. Nat. curios. vol. III. p. 194.

ne spondere non ausim; cum quidem nonnulli sint, qui potum frigidum optime ferunt, sed sunt etiam, & quidem forte longe plures, praesertim ex urbanis, & studiis deditis, atque cumprimis etiam multis hypochondriacis & hysteriis, qui eum sine magno incommodo, imo sine manifesta noxa minime ferunt. Non dicam de eo, quod *unum & quasi desperatum exemplum sive curatio, in Medicina, regulam praescribere nequeat.* Ergo & hic laudes aquae nimiae mihi valde adhuc sunt dubiae.

§. XXV.

Fuit etiam quidam Anglus, HANCOCK dictus, qui ante non adeo multos annos in libro de magno febrifugo aquae largum potum *ad omnes febres intermittentes sanandas*, ante & in paroxysmo assumendum magnopere praedicavit, eamque *magnum febrium harum remedium* appellavit. Concedo equidem & credo febres intermittentes in non paucis largo aquae potu fugari posse; verum semper etiam haereo, ac dubito, an omnibus ea conveniat, & sola, ut auctor hic vult, sufficiat, & an non multi in deteriore statum, cachexiam, & hydropem conici queant, dum tam multa a Medicis notata sunt exempla, ubi ex copiosiori aquae potu in intermittentibus aegri oedemata pedum, cachexiam, leucophlegmatiam, imo hydropem ipsam reportarunt, qui nisi quam prudentissime postea rursus curati sive tractati fuerunt, ex hydropse saepissime occubuerunt. Ideoque & hic aquae laudes nimiae ac temerariae prudentibus & quidem iure debent esse suspectae.

Quidam anglus male ad omnes febres intermittentes curandas laudavit.

§. XXVI.

Quam noxius sit frigida potus, quando calemus, etiam vulgo & aurigis, imo rusticis notum est, qui, nisi prorsus sint amentes atque temerarii, ne equis quidem aquam frigidam, quando calent, exhibent; quia haud ignorant, & a parentibus quasi per traducem didicerunt, hanc equis esse perniciosissimam, eosque saepius inde mori. In hominibus frequen-

De haustu potus frigidi, quando calemus.

quentissime quoque observatum est, quod ex potu aquæ frigidæ, quando ex motu vel labore calent ac sudant, pleurite, peripneumonia, angina, inflammatione ventriculi, intestinorum, hepatis, vel alius cuiusdam visceris correpti atque misere inde trucidati sint, ita ut prudentes quam cautissime ab eo periculoso potu sibi caveant. Quæ cum ita sint, laudes aquæ nimis, quamvis alias, legitimo usu valde salutaris ac polychresta sit, merito nobis debent esse suspectæ, eamque sic pro medicina universali, nisi cum magna limitatione & prudentia usurpetur, minime esse celebrandam merito censemus.

§. XXVII.

3) quomodo laudes in externis morbis sunt limitandæ. Possent equidem adhuc plures eiusmodi producere morbos & casus ubi aqua nomen medicinæ uniuersalis non meretur, ni circumscripti Dissertationis limites aliæque rationes maxime id vetarent; sed pauca tantum *de laudibus in morbis externis curandis* adhuc adicienda erunt. De *dentium* equidem *malis* eorumque per aquæ potum & usum externum restituenda firmitate ac nitore supra (§. XIV.) pauca tantum disputavi. Ita & contra omnem experientiam asseritur, aquam *in inflammationibus externis* insignes edere effectus, de quo tristissimi casus sæpissime occurrunt. Nemo enim non videt, exinde gangrænam ac sphacelum presso pede subsequi. Quid tandem in reliquis adductis casibus aqua exferat, id quemvis ex propria experientia usus docebit.

§. XXVIII.

Conclusio.

Ex his itaque adductis, fatis meo quidem iudicio patere arbitror, eos a vero valde aberrasse, qui in morbis internis curandis, vel externis profigandis, aquam, tanquam medicinam uniuersalem, pronunciarunt. Cum enim medicina uniuersalis, omnibus curandis externis & internis satisfacere debeat, plures vero adduxerim casus, in quibus vel nihil profuit, vel plane nocuit, *aqua laudes nimias in Medicina suspectas* nunc deduxisse arbitror; nimiumque virtutibus aquæ a multis adscriptis non fidentium, sed potius ad sanæ rationis atque experientiæ lancem, omnia prius perpendenda esse, suadeo, antequam quis vel ipse inconsiderato modo aquam adhibeat, vel alios ad eandem temere adhibendam, impellat.

✠ ☉ ✠

VIRO
CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
IOAN. ERNESTO DAMISCH
AMICO SVO INTEGERRIMO
S. D. P.
CONRADVS DIETERICVS GVTIKE
MED. CAND.



*A*lum sane agerem, VIR CLARISSIME, si
virtutibus TVIS nec non singularibus in ar-
te salutari profectibus recensendis immorarer.
Tantum abest, ut hoc TIBI placeat institutum,
ut potius intimioris, quae mihi TECUM intercedit, amicitiae
legibus contrarium iudices. Cumque non solum maxime
insignia TVAE in Anatome subtiliori peritiae Specimina
Collegio, quod Berolini floret, Anatomico Chirurgico,
publice dedisti; verum etiam in Examinibus consuetis
Gratioso Medicorum Ordini in hac Alma Iulia Carolina pe-
nitiosem TVAM eruditionem adprobasti: in TVAS laudes
excurrere superuacaneum omnino existimo. Proposito
igitur meo satisfacturus, TIBI, AMICE INTEGERRIME,
summos diuque promeritos honores doctorales, quos de-
fensa eleganti magnaue ingenii *αλφβετα* exarata Dissert-
tatione TVA inaugurali, de aquae laudibus nimis, in
medicina suspectis, consequeris, ex intimo animi adfectu
gratulor. Ceterum, ut auream in posterum praxin me-
dicam exerceas, omniaque ex voto numquam non TIBI
succedant, ingenue voueo. Vale &, quod facis, mihi
faue. Dab. Helmstadii d. XVIII. Sept.

clō lccc XLV.

D 3

Quan-

Quando conducant, noceantve aquarum
Limpidi fontes, *Peramande Damisob,*
Ore disertio simul atque scripto
Nos docuisti.

Vidimus (nobis meminisse gratum est)
Te Virum docta & celebri in palaestra
Praemio ornatum, quod Hygea dignis
Donat honore.

Numen aeternum *Tibi* dignitatem
Servet, ut, lauri viridantis instar
Qua caput floret, *Tua* semper aetas
Floreat annis.

Exiguus hisce versibus *Viro Praenobilissimo*
ac Doctissimo Domino Respondenti, Fau-
tori & Amico suo Aestimatisimo, su-
premos in arte medica honores obti-
nenti, gratulari voluit debuitque

AVG. DAN. TRAEBER, Helmst.
S.S. Theol. Stud. Opp.

Cur fileam? cur non mea penna salutet amicum?
Quem Medicus celebris tollit ad astra chorus,
Augebo numerum; det felix cura salutem
Adflctis! *Tua* queis ars sacra spondet opem.
Vive diu salvus, tradat tibi praemia digna,
Perdoctum specimen prospera fata ferens!
Millia vota nos comites complector in uno:
Dum tibi scribo, vale! dum rogo, porro fave.

J. G. MVLLER.

Sic bene virtutes nimias perpendis aquarum,
Laudibus innumeris, destituisque suis.
Nam TE ceu Medici comes *experientia* ducit,
Et scriptum *ratio*, dirigit ipsa TVVM,
Hinc medicina TIBI nunc laurum donat Amice.
Cætera forte breui, sponsa brabæa feret.
Jam TVA laus & honos vastum spergantur in orbem.
Et fausti vitæ, sint sine fine dies.

His experientissimo Dn. Doctorando, Cand.
dign. applaudit

SAMVEL PAVER,

Pison. Hung. M. Cult. Opp.

Gratulor ex animo TIBI sic Doctissime DAMISCH
De merito lauri deque labore TVO.
Hoc examen aquae quod dum curatur eadem
Instituis, celebrat nomen in orbe TVVM,
Ipsa sibi felix de TE gratatur Hygea
Dum videt ex scripto commoda tanta TVO.
Ista medelarum non est conditio vilis,
Viribus exiguis ut superentur aquæ.
Non aqua tot morbis unquam fuit apta medendis,
Ægris, maiori tollitur arte malum.
Hinc ea virtutes nimias TE vindice perdit,
Suspectis iam nunc laudibus *heret aqua*.

Hoc
amoris & integritatis testimonium ut se ul-
teriori amicitia Prænobilissimi ac Do-
ctissimi Domini CANDIDATI commen-
daret, apposuit

JO. SIGISMVNDVS LEINCKER, Norimb.

Medicinæ Cultor, Opp.

Omnia iudicio DAMISCH perstringis acuto
Et per TE laudes vix *elementa* ferunt.
Ergo tuos meritos quis nunc miretur honores ?
Præmia sunt certe digna labore TVO.

Hæc, Doctorande Dignissime, Fautor, Amice
& Contubernalis honorande in sui
memoriam adposuit Honores Doctōris
Tibi gratulaturus

IO. GVILIELM. ILSEMANNVS

Cheruscus Zellerfeldensis, Opp.

Selsus/ Hippocrat/ Galen/
Könt ihr aus der Grufft noch sehn/
D so werfft die seltnen Blicke
Hier auf euren Sohn zurücker?
Merck es/ Aerzte neuer Zeiten
Nehmt den Freund zum Mitglied an/
Der durch seine Gründlichkeiten
Euren Ruhm vermehren kann.

Seinem geehrtesten Freunde wünschet hiemit zu
dem längst verdienten Doktor-Hute von aufrichtigen
Herzen Glück

J. Taube/ M. C.
Opp.

Errata.

P. 9. lin. 7. lege huic pro hoc. pag. 18. lin. 19. leg. notæ p. noti.

10) 0 (20

01 A 6505

7


ULB Halle 3
002 937 298


kur 10. Stck 7A-70C
bücher verknüpft

V.D.R. V.D.R.







Farbkarte #13

B.I.G.

25.

DE
LAVDIBVS
DICINA NIMIIS
SPECTIS

AESIDE
NTIO HEISTERO

SV. AC LVNEB. A CONSILIIIS AVL.
KEOS CHIRVRG. ET BOTANIC. PRO.
D. CAES. NAT. CVRIOS. LONDINENS.
OL. SODAL. FACVLT. MEDIC.

SENIORE
RAECEPTORE AD VRNAM
N SATIS DEVENERANDO

ADV DOCTORIS

ISPVTABIT

AVCTOR
ERNESTVS DAMISCH
S DEBVRGENSIS.

P. T. clō lō cc XXXXV.

HELMSTADII
DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.